Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26327
Copyright: Admont, Benediktinerstift

consummationem mundi zizania pariter frumentaque succrescunt?
Quae est sequentia pisces boni et mali · sagena Christi et in rete evan-
gelico canentur? Cur in typo ecclesiae id est in arca noe diversa an-
imalia · et pro qualitate meritorum diversae sunt mansiones? Cur asti-
tit regina a dextris domini in vestitu deaurato circumdata vari-
etate? Cur ioseph in forma Christi · variam habuit tunicam? Cur
apostolus loquitur ad romanos · unicuique secundum quod deus divisit men-
suram fidei? Sic enim in uno corpore multa membra habemus ·
omnia autem membra non eundem actum habent · ita multi unum corpus
sumus in Christo · Singuli autem alter alterius membra · Habentes autem
donationes secundum gratiam quae data est nobis differentes · sive prophe-
tiam secundum mensuram fidei · sive ministerium in ministrando · sive
qui docet in doctrina · qui exhortatur in exhortando · qui tribuit in
simplicitate · qui praeest in sollicitudine · et cetera · Et in alio loco ·
Alius iudicat diem plus quam diem · alius iudicat omnem diem · Unus-
quisque in suo sensu abundet · Et ad corinthios · Ego plantavi
apollo rigavit · sed deus incrementum dedit · Itaque neque qui plan-
tat est aliquid · neque qui rigat · sed qui incrementum dat deus · Qui plan-
tat et qui rigat unum sunt · Unusquisque propriam mercedem accipi-
et secundum suum laborem · Dei enim adiutores sumus · dei agricultura ·
dei edificatio estis · Et rursum alibi · Secundum gratiam dei quae data est
mihi · quasi sapiens architectus · fundamentum posui · alius autem
superedificat · Fundamentum enim aliud nemo potest ponere · praeter quam
quod positum est · quod est Christus Iesus · Si quis autem edificat supra funda-
mentum aurum · argentum · lapides pretiosos · ligna · fenum · stipulam ·
uniuscuiusque opus apparebit · Dies enim illud manifestabit ·
quoniam in igne revelabitur · et singulorum opus quale sit ignis proba-
bit · Si cuius opus manserit · quod superedificavit · mercedem accipiet ·
Si cuius autem arserit · detrimentum sustinebit · ipse autem salvus erit ·